

Dissertatio Physiologica De Principio Movente In Animatis ...


Rostochii: Typis Jo. Jacob. Adleri, [1724]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002501407>

Druck Freier  Zugang



RU med. 19. Febr. 1724
Burchard, Christ. Mart.



DISSERTATIO PHYSIOLOGICA
DE
**PRINCIPIO
MOVENTE
IN ANIMATIS.**

IN SPECIE

DE

ANIMA BRUTORUM.

Sub PRÆSIDIO

VIRI Excellentiss. ac Experientiss.

DOMINI

**CHRISTOPH. MARTIN.
BURCHARDI,**

MED. DOCT. & PROF. PUBL. ORDIN. FACULT.
MEDIC. DECANI,

Publice in AUDITORIO habenda,

Respondente

LUDOLPH. DAVID. WEHNERO,

Buxtehuda-Brehmense.

Die XIX. Februar. MDCCXXII.

ROSTOCHII,

Typis JO. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typog.

*BIGÆ FRATRUM OPTIMÆ,
VIRIS*

*Consultissimo, Prænobilissimis
& Amplissimo Domino,*

DOMINO

DAVIDI WEHNERO,

Dycasterii, quod Stadæ est, Assessori Gravissimo & Prudentissimo: Syndico item Buxtehudenfi
longe spectatissimo.

PARENTI SUO

Omni veneratione ad urnas usque colendissimo.

Nec non

DOMINO

JACOBO WEHNERO,

Centumvirorum Rostochiensium Membro Dignissimo,
ut & Mercatori præcipuo ac felicissimo,

Patruo suo dilectissimo:

Hancce disputationem.

dat, dicat, dedicat

Adamantissimæ Parentalis Bigæ

Humillimus cultor

LUDOLPH. DAVID. WEHNER,
L. L. Stud.

PRÆSES
NOBILISSIMO ac ORNATISSIMO
DOMINO
RESPONDENTI.

UT præclara quæque ingenia non uno studiorum genere coerceri se patiuntur, sed tanquam apes ex quibuslibet floribus carpere norunt, quæ vel ad usum vel gratiam faciunt, sic TU quoque Nobilissime WEHNERE, non contentus iis, quæ Causarum Patrono, aut Judici olim, scitu sunt necessaria, pedem extra hæc studiorum pomæria effers, & Philosophiæ Naturalis floridos hortos Curiosus pervagaris: probe quippe gnarus, rerum naturalium contemplationem, præprimis earum, quæ propius

propius ad humani corporis fabricam
spectant, licet Jure-Consultum non fa-
ciant, facere tamen ad ejus ornamen-
tum. Nec dubitamus, Ornatissime
WEHNERE, Te, ut cepisti, sic porro
omnibus viribus laboraturum, ut Paren-
tem Tuum, cujus præclarissimo exem-
plo non minus, quam monitis incitaris,
virtutis æq; ac eruditionis fama aliquan-
do æques, aut, si possibile, superes:
Non enim hæc generosa contentio con-
tra pietatem peccat, nec parentes à
filiis virtutum splendore superari detre-
ctant, sed quam aliis invidemus victo-
riæ gloriam, eam nostris non inviti
concedimus. Vale.



videtur, adeoque vel Spiritus erit, (†) vel longe excellentius quid, quam nudum extensum, præter quod tamen vulgus Philosophorum nihil in materia agnoscunt.

§. 152. Sed Spiritus non est, non enim sui juris est æther, sed ex necessitate movetur, secundum certas leges naturales, imo & artificiales: nam quamvis corpora quælibet penetret, non tamen sine aliquo impedimento id fit, unde infringitur, reflectitur, & diversimode modificatur, pro speculorum, prismatis, ac lentium vitreorum, a quibus excipitur diversitate, quod Mathematicis, & in Philosophia experimentali exercitatis est notissimum.

§. 153. Porro quamvis Aër crassioris conditionis sit, mira tamen quoque de ipso prostant phænomena: Exemplo sint Musici concentus, varii generis instrumentis, simul in usum vocatis, sine ulla confusione in gratissimam harmoniam conspirantibus, quibus animus rapitur quasi, & pro modulaminum diversitate, ad hilaritatem, tristitiam, audaciam denique, impellitur, ut adeo & in aëre, præter nudum extensum, aliud quid sit, quod captum nostrum longissime superat.

§. 154. Cum itaque adeo stupenda perficiant hæc duo fluida, libere per globos hujus universi agitata, necesse est, ut concedamus, ea sub communi corporum censu non posse comprehendere, sed inter hæc & spiritum quasi medium tenere.

§. 155. Præterea nil mirum, longe excellentiores consequi eorum in animalibus effectus: Nam 1.) hic non consideranda sunt, tanquam nudus Aër ac Aether, sed tanquam tertium quid, Anima nimirum, seu tale principium movens, quod à Conditore summo certis motus legibus, pro animalis conditione, specificè adstrictum est. 2.) Ipsa etiam animalis machina confert, ut eo nobiliores operationes consequantur, quo nobilior ipsius est structura (††)

F

licet

(†) Huc deflectere videntur recentiores quidam, ut Aetherem Spiritum, & Ens intelligens faciant, Animam mundi, & Animam humanam ac brutorum esse hujus particulam. ut C. Thomasius, & Anonymus. *Verhandlung von der Seele.*

(††) vid. *Dissert. de Natura.* Cap. 1. §. 8. & 9.

licet machina animalis non nisi passive concurrete videatur.

§. 156. Errant enim quammaxime Philosophi, cum putant, Materiam esse plane ineptam, ut novas, & alias affectiones per transmutationem acquirat, quæ ex sua natura non fluunt.

§. 157. Exemplo nobis fit simplex aqua & terra: Ista enim successive affluentes, in feminibus plantarum transmutationem patiuntur, ut in plantam abeant, ejusque indolem acquirant. Plantæ autem vicissim alimentum præbent Animalibus, ita ut in succum & sanguinem degenerent, & porro exinde, cum totius corporis incremento, in partes solidas convertantur, pro diversitate usus, vel ad vitam, vel sensum, vel denique motum animalis facientes.

§. 158. Hæc qui recte advertit, agnoscet, vivere, sentire, motu locali gaudere, non fluere ex aqua aut pulveris inertis ac emortui indole aut conditione: nihilominus ex Legibus summi Conditoris hæc dotes acquirere aqua & terra possunt, & quotidie per transmutationem acquirunt.

§. 159. Hinc ergo non mirum est, Aërem ac Aetherem, qui, ut ex præmissis supra phænomenis constat, affectionum nobilitate reliqua sublunaria in infinitum superant, novas quasdam dotes acquirere, quamdiu Animam sensitivam constituant, quæ alias Aëri ac Aetheri per se non competunt.

§. 160. Cum enim voluerit DEus, ut Animalia suæ studeant conservationi; Hoc autem sine perceptione, & perceptorum memoria, ac denique affectuum, Iræ, Terroris, Appetitus veneri impulsu fieri non possit; Hinc DEus hæc affectiones vel superaddidit brutis, vel eadem sponte ex Anima sensitivæ & Cerebri miranda fabrica consequuntur.

§. 161. Potuisse autem DEum materiæ aliquid superaddere, quod ex materiæ conditione, alias non fluit, nemo negabit, nisi qui Potentiam divinam ex ingenii sui modulo æstimat. Sed si Dotes istæ, & affectiones animales, immediate a DEo brutis superadditæ essent, nemo quoque eas animalibus subtrahere posset, nisi solus DEus.

§. 162. At videmus, mediantibus causis naturalibus

cas.

reas destrui, ut cum rabie afficiuntur animalia, aut sensuum plenariam abolitionem experiuntur, itaque necesse est, affectiones istas pendere ex causis naturalibus, non autem immediate aut extraordinarie à DEO brutis esse concessas.

§. 163. Si autem naturales sunt, quoniam mutabiles existunt, manifesto consequitur, eas ex Animæ sensitivæ indole, ac Cerebri miranda compage profluere.

§. 164. Huc usque nos sponte ac clarissime ducit phaenomenorum naturalium nexus, ita ut qui hæc negare velit, vel plane hospitem esse in hisce necesse sit, vel artis ratiocinandi penitus imperitum.

§. 165. Quomodo autem Aër ac Aether in Cerebro animalium prædictas dotes acquirat, aut quomodo Cerebri machina ad eas concurret, si à nobis explicationem desideras, plura postulas, quam in nostra est potestate.

§. 166. Sic phaenomena, quæ supra de radiis lucidis aut sonoris adduximus, ex causis materialibus provenire, nemo negare potest: Interim nemo adhuc adeo felix fuit ingenii, ut clarissime ostendere potuerit, quomodo v. g. determinentur radii lucidi, cum imaginem athiopis in speculo representant, aut contra, cum faciem exprimunt elegantis ac nitidissimæ puellæ,

§. 167. Sic quis sibi sumplerit explicare, qualem aëris modificationem postulet qualibet vox articulata, quarum totæ myriades præstant in qualibet lingua, nihilominus aër omnes istas vocum impressiones recipit, & auribus nostris reddit.

§. 168. Certe qui hoc perfecte enodare poterit, is etiam non difficulter explicabit, quomodo fiat perceptio & imaginatio in brutis,

§. 169. Nam quicquid animalia habent, quicquid addiscunt, venandi varias artes, & diversa vitam conservandi studia &c. quæ non ex corporis machina sponte fluunt, id omne per visum & auditum acquirunt.

§. 170. Adeoque certi esse possumus, quemadmodum Aër ac Aether externe, pro diversitate objecti visibilis, vel sonori,

nori, certo, determinato & nobis incomprehensibili motu impelluntur, sic Animam quoque sensitivam, utpote ejusdem naturæ, in eandem abripi motus determinationem, ita ut in Animali fiat idem quod externe fit, non quidem ratione objecti visibilis, vel sonori, sed ratione motus, qui fluidis externis ab objectis imprimitur.

§. 171. Dum autem idem in Animali fit, & quidem in apto Cerebri organo, necesse est, ut animali communicetur, quod externe accidit.

§. 172. Quando autem idem in animali fieri non potest, ut cum Cerebrum mediantibus humoribus stagnantibus compressum, aut fortiter concussum, aut vulnere graviori læsum, vel oculi aut auditus organon vitiatum fuerit, ita ut Anima vel impressiones externas non recipiat, vel receptas per Cerebrum vitiatum propagare non possit, nihil amplius Animal percipit.

§. 173. Itaque nisi fallor clarissime demonstravimus, totum hoc sensuum negotium ex causis materialibus, & quidem pluribus simul concurrentibus, pendere, ita ut si una deficiat, aut destruat, totum pereat Mirandi Creatoris in hisce reconditum artificium.

§. 174. Neque nostræ sententiæ quicquam officit, quando obijciunt *se hæc concipere non posse, ergo non esse vera*. Non enim propterea, quod hisce capiendis minus apti sunt, phænomena, à nobis supra adducta, & quæ exinde sponte fluunt rationes, negari possunt: Sed id tantum exinde consequitur, intellectum ipsorum longissime distare a sapientia divina, ita ut cum Syracuse ipsis fatendum sit, quod *ne sanctis quidem datum sit miranda DEi opificia digne satis depradicari: nimis enim magnifica & magna esse, ita ut vix punctum eorum agnoscamus.* (†)

§. 145. Sed porro instant: *Perceptionem & Imaginationem non fieri sine cogitatione: Materiam autem cogitare non posse.*

§. 15. Quisquis vero rem attente considerat, facile observabit, *percipere, & de perceptis cogitare, toto cælo differre.* Hæc enim est actio, illa vero passio, & nobis etiam invitis accidit, ad

(†) *vid. Cap. XLII, v. 17. & 13.*

adeoque pessime inter se confunduntur. Nam sæpe percipere cogimur, quæ percipere nollemus; & vice versa in morbis quibusdam perceptio aboletur, vel in toto, vel in parte quadam, salva Anima rat. Quod qui rite perpendit, dubitare nequit, Principium perceptionis diversum quid esse, ab eo, quod in nobis cogitat.

§. 177. Imaginationem autem quod attinet, facile concedo, eam in nobis active exerceri, sed in brutis mere passive, dum non sponte revocant ideas, sed vel ab externis, vel internis causis, fame nimirum, aut veneris stimulo &c. in ipsis excitantur.

§. 178. Sed nec in ipso quidem homine semper imaginatio active exercetur: Sæpe enim nobis invitæ ideæ redeunt, tristes, peccaminosæ &c. ut necessario aliud principium admittendum sit, ex quo memoria & imaginatio pendeat, aliud, quod in nobis judicet. Et sane hoc ultimum est ipsa Anima rat. quæ componere quidem fluctus, ab altera sensitiva excitatos, valet, non autem in totum prohibere, ne in novos tumultus prorumpat.

§. 179. Si itaque in homine interdum imaginatio fit, seu repetitio idearum, motu quodam passivo, invita nempe anima rat: non difficile erit concipere, in brutis idem accidere, solius animæ sensitivæ ope, dum sponte hæc relabitur, vel impellitur, ut vestigia certæ cujusdam ideæ relegat.

§. 180. Hic autem animæ materialis recursum, seu imaginatio, non meretur dici cogitatio, siquidem mere passive exercetur, nec ultra conservationem animalis, seu ideas sensuales, ac famis & frigoris, aut molestæ perceptionis evitacionem, facile se extendit: cum cogitatio sit actus entis libere agentis.

§. 181. Qui autem perceptionem & imaginationem non sine cogitatione aliqua concipere possunt, iis respondemus: *Si percipere, sentire, imaginari &c. est cogitare*, etiam bruta cogitant. Sed hæc cogitatio probe distinguenda à cogitatione humana: Brutorum enim ista passive exercetur, & similis est istis cogitationibus, quas ipsi homi-

nes experiuntur, cum ab objectis externis subito impelluntur, ad gaudium, iram, concupiscentiam, &c. inconsulta aut invita ratione.

§. 182. Sed affectus tales, aut cogitationem passivam, in materiam cadere posse, impossibile tibi videtur: Si enim materia cogitaret, sequeretur, quamlibet ejus particulam cogitare posse, adeoque tot forent cogitationes, quot particulae animam componunt, quod sine confusione contingere non posset. (†)

§. 183. Ast nullibi asseruimus, animam sensitivam per se cogitare, potius contendimus, eam ne quidem sentire posse, sibi relictam. Perceptio enim est affectio animalis, ad quam integrum Cerebri, & organorum sensoriorum systema requiritur, ut supra ostendimus. 2.) Cum nulla materia, adeoque nec qualibet ejus particula se sponte movere queat, sed ad motum fluidorum, quale est anima sensitiva, requiratur, ut una particula alteram trumat, ita ut omnes eodem impetu ferantur, pro impellentis diversitate, hinc etiam ex eodem omnium impulsu, non nisi unicus effectus exurgere potest.

§. 184. Quemadmodum enim Aetheris qualibet particula non peculiarem imaginem in speculo repraesentat, sed tot myriades concurrunt, suoque imperferutabili motu efficiunt, ut non nisi unica imago in eodem speculo sistatur; aut tot myriades particularum aërearum in unum conspirant, ut harmonicus sonus producat. Sic etiam cum Anima sensitiva vel à causis externis, vel internis, ad certum motum impellitur, non nisi unica perceptio, quamdiu nempe idem ille motus durat, oriri in cerebro potest.

§. 185. Falsissimum itaque agnoscent futurum ratiocinium, quando id, quod integro composito, v. g. Machinae cui-dam pneumaticae competit, etiam de qualibet ejus parte, vel minimis particulis fluidi, quod machinam impellit, praedicare contendunt.

§. 186. Itaque ad ideam perceptionem, aut repetitionem, non sufficit sola anima, sed simul apta cerebri machina: quod

(†) *Clarkius in Epistola ad Dodwellum.*

qui non intelligunt, necessario variis erroribus obnoxii redduntur, ita ut alii perceptionem ad Spiritum immaterialem solitarie referant, & propterea brutis perceptionem denegent; (†) alii vero, cum perceptio ipsis disputari nequeat, Spiritum immaterialem ipsis tribuant; (††) Alii denique, qui considerant hominis æque ac brutorum perceptionem & imaginationem pro tempelatam, ætatis, aut morborum varietate, variis mutationibus obnoxiam esse, hominibus æque ac brutis materialiam Animam præfiant, sed eandem rationalem. (†††)

§. 187. Sed si materialis hæc anima, rationalis esse nequit. Perceptio enim, & imaginatio passiva, toto cœlo differunt à vera ratione, nec ultra ideas sensuales, ad conservationem animalis tendentes, se extendunt, quippe quas non sponte sibi format hæc anima, sed passivè recipit, certo & determinato motu ab externis vel internis causis impulsâ, in apta cerebri machina: hinc ea non rite constituta, nihil animal, vel non rite percipere, supra demonstratum. (†††)

§. 188. Præter sensus sive perceptionem, Motus quoque localis in animalibus attendendus venit: sed cum hujus mechanicam rationem exhauerint *Borellus* & *Stenonius*, uterque tamen diverso modo, paucis nos expedire volumus, ne limites præsentis instituti nimium excedamus.

§. 189. Scilicet adhuc monendum videtur, musculum, qui principium motus immediatum, seu instrumentum proximum constituit, non dilatari per effervescentiam, aut dispersionem, sive mere passivè, ut *Willsius* & *Borellus* voluere.

§. 90. Sed ipsæ fibræ carneæ insito quodam Elatere se constringunt, unde breviores redduntur & crassiores.

§. 191. Nam

(†) ut *Cartesiani*.

(††) ut *Stahliani*.

(†††) *Dikinson*, *Cowardus* alique, *Rudigerus* autem *Brutis* æque ac homini Spiritualem animam tribuit, sed ex materia & quidem prima creatam.

(††††) Itaque ipse *Aër* per se non sentit, nec appetitu sensitivo pollet, ut *Illustr. Thomassius* vult, sed ista affectiones ex machina *Cerebri* sunt.

§. 191. Nam si ab humoribus aut halitibus dilatata fibra abbreviarentur, necessario imminueretur virtus musculorum, post nimias humorum evacuationes. Ast per experientiam constat, eam potius augeri, ita ut etiam ad spasmodicas constrictiones pronæ reddantur partes musculosa.

§. 192. Præterea observamus, musculos ex demortuo animali extractos, in quibus omnis humorum vitalium affluxus & effervescentia cessat, constringi statim, si vel dissecentur, vel aqua calida immergantur.

§. 193. Porro ex circulationis legibus Anima motrix per musculos continuo fertur, adeoque si hæc ipsa virtutem displosivam aut effervescentiam cum humoribus, in musculo contentis, contraheret, partes musculosa perpetuis convulsionibus forent obnoxia. (†)

§. 194. Itaque humorum ebullitio, aut vis displosiva, causa contractionis musculorum esse nequit: Sed fibra carnea naturaliter pronæ sunt ad contractionem, quippe quam etiam post mortem exercent, adeoque sponte eandem incurrunt, ab anima sensitiva, seu motrice concitata.

§. 195. Concitat autem Anima fibras ad constrictionem, dum majori impetu irruens, tremulum seu oscillatorium motum fibræ imprimat. Est enim hoc aëri commune, ut per angustiam cum impetu adactus, ob elasticam suam vim & expandendi nisum, motum tremulum corporibus aliis elasticis aut duris communicet. (††)

§. 196. Quid autem Animam sensitivam impellat, ut majori nisu in musculum ruat, quæri posset: Est enim ea materialis, adeoque pro lubitu, aut ex præconcepto consilio hic agere nequit.

§. 197. Ostendimus autem supra, Imaginationem brutorum moveri vel ab extra, per objecta, vel ex internis causis, fame

(†) *Mayovii Systema natura æque ac mechanismo musculorum plane adversum est.*

(††) *Hinc tubuli phonastici & januarum valva tremulum motum concipiunt, cum aër fortitèr per eas adigitur.*

fame nimirum, aut veneris stimulo: Dum ergo sic Anima fortius in cerebro impellitur, necessario impetum impressum in eas corporis partes transmittit, quæ imaginationi ex instituto divino respondent.

§. 198. Manifesto enim in brutis appetitum sensitivum, & ex inde productos affectus observamus, Iram, Terrorem, imo & Amorem, quem Canes præprimis erga Dominum testantur. Cum enim animalia maxime inter se differant, & diversimode conservari debeant, hinc cuilibet speciei, pro machinæ corporeæ diversitate, talem appetitum, ac tales affectus concessit, qui conservationi cujuslibet quam maxime conveniunt.

§. 199. Quomodo autem DEUS Principium materiale, quale est Anima Sensitiva, talibus donis prospicere potuerit, ingenii humani vim superat, dilucide explicare. Id certum, & ex præcedentibus evictum; Animam illam per se non percipere, sed perceptionem fieri in apto Cerebri organo: Itaque ratio credere jubet, DEUM cuilibet Animali talem Cerebri dispositionem, ac conformationem internam, dedisse, quæ corporis totius machinæ respondeat, ita ut diversa animalia, ab eodem objecto, diversimode afficiantur, & diversos experiantur affectus. Hinc Anates mare appetunt; Gallinæ contra averfantur, quippe quæ ne pluvium quidem cælum commode ferunt; Sic lepores canem adventantem metuunt, fugiuntque, Leones aut ursi eum non curant, sed tanquam commodum ferculum appetunt, ac prosequuntur.

§. 200. Affectus itaque sunt, qui Animam sensitivam impellunt, ad citatiorem motum: sive potius affectus nihil aliud sunt, quam ipsius Animæ sensitivæ certa & determinata agitatio, major vel minor, in apta Cerebri machina, quæ porro se per nervos ad reliquas partes corporis omnes extendit, ita ut non solum membra motui locali inservientia, sed etiam ipsæ partes vitales ab impulsu isto animæ vehementius incitentur.

§. 201. Veritatem hujus sententiæ confirmabunt ipsi affectus humani, modo ad eos, sine præjudicio contemplandos.

G

animum

animum advertamus: Observabit enim quilibet in se ipso, cum affectu quodam ex inopinato corripitur, mutationem in toto corpore, præprimis circa cordis pulsum, sanguinisque motum fieri, & quidem eo majorem, quo magis recta ratio affectum istum damnat, ipsique, ne in actum erumpat, resistit. Et quamvis sæpe adeo felices simus, ne quid indecenter agamus, intestinos tamen illos motus ita compescere non possumus, quin ipsa facies testetur, de eo, quod nos intus agitat.

§. 102. Cum itaque exinde appareat, Animam sensitivam in homine affectibus corripì, invitâ Animâ rationali, nemo sane brutis affectus denegare poterit, ex solo materiali principio profluentes. Atque hæc ratio est, quod bruta plenarie suis affectibus indulgent, ipsisque resistere nequeunt, destituta quippe Principio Rationali, quod de moralitate affectuum judicet, & licito modo iis utatur.

§. 103. Quemadmodum autem in eo brutis sumus feliciores, quod imperare affectibus possumus, ne in actum erumpant; sic deteriores reddimur ipsis brutis, si posthabito rectæ rationis dictamine, affectus illicitos consensu nostro approbamus.

§. 104. Brutum enim, remoto objecto, quod iram v. g. inspiravit, dum phantasia ab aliis afficitur, memoriam pristini affectus deponit. Sed homo affectibus suis libere indulgens, irascitur, etiam absente isto, à quo injuriam passus est, & vindictam meditatur, eamque, si aperto Marte non audet, clandestinam, eoque graviorem, quo magis sibi ab adversario metuit.

§. 105. Non itaque negamus, ipsam Animam rationalem affectibus agitari: Sed ea, neque sola, neque prima est, quæ in homine afficitur. Inest enim nobis longe aliud principium, quod ab objectis impulsus, tumultus excitat, invita altera ista rationali, sæpeque in actum erumpit, & talia perpetrat, quorum nos brevi, consulto rectæ rationis dictamine, pœnitet.

§. 106. Certe a Principio illo materiali Perceptivo, in homine,

homine, affectus originem trahere, ex eo quoque elucet, quod pro diversitate Temperamentorum Homines ad unum vel alterum affectum magis sunt proclives: de quo argumento videri latius potest *Illustr. Thomafus.* (†)

§. 207. Sed & mutabiles sunt affectus, ita ut idem homo, cum aetate, alios mores, alias animi inclinationes induat. Itaque materiale esse affectuum principium, quoniam mutabile existit, nemo, qui sobrie philosophatur, negare poterit.

§. 208. Cum autem eadem Anima sensitiva in brutis adfit, & Cerebrum, corporis fabricæ respondens, non mirum sane est, bruta gaudere affectibus, & ab iisdem impelli, ad varios motus locales, corporis machinæ convenientes; Id quod sufficere debet, cum artificium illud, quod circa affectus concitandos adhibuit Sapientissimus Conditor, totum exhaurire non liceat, & inepti sint, qui integrum illud sibi demonstrari postulant.

§. 209. Sed objiciunt hic Spiritualismi fautores, Principium materiale, quale est Anima sensitiva, scire non posse quinam muscoli, ad quemlibet corporis motum, requirantur. Sed illis vicissim oppono, nec animam rationalem, in homine, cognitos habere musculos, imo ne situm quidem eorum, multo minus eos immediate movere: nihilominus in statu naturali motus consequitur, intentioni animæ, aut affectui respondens; & quidem id omne ex instituto Summi Conditoris, qui machinam corporis tam mirifice construxit, ut motus omnes exsequatur, ad eum finem, quem DEUS in qualibet animalis specie sibi præfixit.

§. 210. Caterum & ipsam adsuefactionem, & frequens exercitium, huc plurimum conferre, ut muscoli ad certum motum magis apti reddantur, vel ex eo elucet, quod juniora animalia, licet ad justam magnitudinem excreverint, minus tamen expedite motus locales instituunt, quam ista, quæ ad maturam aetatem provec̃ta, magis exercitata membra obtinent.

§. 211. Imo & in ipsis hominibus apparet, quid exerciti-

G 2

um

(†) In der Ausübung der Sitten-Lehre.

um, etiam in motibus artificialibus, valeat. Sic musicorum digiti prompte exercitatos motus exsequuntur, ipsis Musicis saepe circa alias cogitationes occupatis; Sic quoque Funambuli, & gesticulatores, tam stupendos corporis motus peragunt, tanta agilitate, tanta promptitudine, quasi ex naturâ & dispositione corporis fluere, cum tamen alii, in hisce non exercitati, eos non sine manifesto vitæ periculo imitari valeant.

§. 212. Restat indagandum, quomodo Anima brutorum, sensitiva & motrix, Principium plasticum constituat, & an hocce negotium cum ratione exsequatur? ut nobis Neoterici quidam persuadere conantur; an potius ex necessitate Legum naturalium, quas DEUS præscripsit, hæc omnia fluant?

§. 213. Facile enim cum ipsis consentio, formari fœtum in ovulo, non à condito mundo præexistere, nec rudimenta feminalia, aut delineationem partium, adesse; multo minus ex vermibus generari hominem, aut reliqua animalia, quod Lewenhœckii est commentum. Si enim in generationis negotio nil aliud fieret, quam partium nuda extensio, neque monstra fieri possent, pravæ matris imaginationi respondentia, nec ratio patet, cur ova, sine galli accessu exclusa, subventanea sint;

§. 214. Præterea, successive partes formari, quilibet experiri poterit, qui ova, gallinæ incubanti commissa, primis diebus inspicere dignatur. Primo enim cerebrum & medulla spinalis, cum cranii ac vertebrarum delineationibus; altero cor, seu punctum saliens; tertio pedum & alarum rudes protuberantiæ &c. in conspectum veniunt.

§. 215. Porro & Hybrides, ex conjunctione diversorum specie animalium progenerata, ut mulus, aliquid ex matre, aliquid ex patre retinent, ut nullum dubium sit, formari fœtum, non præexistere.

§. 216. Hæc, cum quotidiana observatio doceat, plus valere debent, quam omnia dubia & rationes, ab istis in medium allata, qui Mechanismo plus quam par est tribuunt.

§. 217.

§. 217. Ut itaqve appareat, quomodo Anima generationis negotium absolvat, ad phænomena, quæ natura sponte nobis offert, diligenter attendendum.

§. 218. Observamus autem, generationis negotium fieri mediante motu: cum autem Aër & Aether principium movens sint, omnium mutationum, quæ in naturalibus contingunt, Anima autem hujus indolis sit, facile apparet, eam & in hoc negotio movens primum constituere.

§. 219. Porro nulla conceptio fit sine congressu maris, cujus quippe semine fecundantur ovula femellæ: Necessario itaqve anima patris, cujus particula cum semine in uterum transmittitur, principium fecundationis & formationis primum existit.

§. 220. Hinc in ovis gallinaceis, à gallo fecundatis, statim post exclusionem, in cicatrice observamus, expressum rudimentum cerebri & medullæ spinalis, sine dubio, quod hæc duæ partes præcipuum habitaculum sunt animæ, in quibus primarios suos actus exercet, & in reliquas partes transfert, adeoque iis efformandis primam præstat diligentiam.

§. 221. In ovis autem, subventaneis dictis, nulla delineatio futuri pulli in cicatrice comparet.

§. 222. Quamvis autem particula animæ paternæ principium primum movens in ovulo fecundato constituat, non tamen se ipsam movet, nec spontanee agit, sed ex necessitate, ab aliis causis, calore præprimis, impulsæ.

§. 223. Nam in oviparis, post ovi exclusionem, ejusque refrigerationem, statim cessat jam inchoatum formationis negotium, æque ac in feminibus plantarum observavimus.

§. 224. Excitatur autem denuo calore incubantis gallinæ, aut ejus amulo, fornacum, ut in Ægypto consuevit. (*)

§. 225. Et hinc denuo apparet, frustra pugnare quosdam recentiores, dum Animam brutorum propterea spiritualem volunt, quoniam principium materiale non posset constituere Movens primum, spontaneum, & vere agens.

G 3

§. 226.

(*) vid. Della Valle, aliosque.

§. 226. Nam Anima plastica, neque spontaneum, neque primum movens est, ut ex prædictis apparet, adeoque necessario est materialis. Primum movens autem dicitur, non absolute, sed respectu fœtus formandi.

§. 227. In Viviparis autem calore materno, & continua fluidorum circulatione impellitur anima, ut suum opus strenue perficiat.

§. 228. Non autem sufficit, ut materia ovuli in motum redigatur, sed necesse est, ut hic motus pro animalis, imo pro cujuslibet partis diversa conditione, certa, determinata, ac specifica ratione instituat, secundum Leges Naturæ, & efficaciam divinæ voluntatis, qua quodlibet sui simile, omnibus numeris absolutum, producere jussit.

§. 229. Leges istæ consistunt partim in Natura Animæ, partim in fluidorum indole, quæ in ovulo adsunt, vel successive in viviparis affluunt.

§. 230. Anima enim, quatenus ex Aethere & Aëre constat 1) quaslibet motus impressiones admittit, & mirabili, nobisque imperscrutabili ratione exsequitur, ut ex superius adductis exemplis apparet. 2) Impressam motus determinationem tenacissime servat, (†) nisi ab aliis causis, quæ vel resistendi vi, vel valentiori impetu pollent, arceatur. (††)

§. 231. Quatenus autem hujus in specie animalis Anima, sive principium movens plasticum existit, ipsius potissimum motus Legibus peculiariter & specificè est adstricta.

§. 232. Cum autem supra ostensum sit, duplicem animæ hujus motum esse, alterum naturalem, seu circulatorium, quo actibus vitalibus, nutritioni, secretioni &c. præest, alterum animale, perceptioni & motui voluntario dicatum (†††) facile apparet, in negotio formationis, solum animæ motum naturalem seu circulatorium requiri, cum alter iste, imaginationi destinatus, plus officiat formationi fœtus, quam proficit.

§. 233:

(†) Vid. Sect. 1. §. 154. seq.

(††) Vid. infra. §. 265. 266. seq.

(†††) Vid. supra Sect. II. §. 75. seq.

§. 233. Circulatorius enim animæ motus, quamdiu Animal vivit & valet, continuo, non interrupto ordine, procedit, adeoque quam maxime naturalis est viventibus; cum contra, motus, operationibus animalibus dicatus, tempore somni penitus sistatur, sub vigiliis autem, pro diversitate objectorum, variis mutationibus fit obnoxius.

§. 234. Ad ovulum itaque delata animæ paternæ particula, & à nullis objectis, vel imaginationis vehementiori impulsu turbata, necessario motum naturalem, circulatorium, exsequitur, ad quem ex Legibus, divinitus impressis, ut ostendimus, (†) quam maxime est proclivis.

§. 235. Hunc, dum toties repetit, & quidem pro diversitate cujusvis partis diversum eundem instituit, in molli ovuli materia delineationes ducit, mox quidem insensibiles, succive tamen, accedente uberiori nutrimento, in sensum incurrentes.

§. 236. Quemadmodum itaque Anima sensitiva, in hoc negotio, principii activi vices exsequitur, sic passive in idem opus conspirat fluidum, in ovulo contentum: Nam I.) tenue illud est ac limpidum, adeoque quemvis impetum & impressiones Animæ facile admittit.

§. 237. II.) gelatinosum est, ignis calore facile inspissandum, hinc aptum, ut vestigia & tramites animæ fervet, inductis, pro futuri sanguinis distributione, meatibus subtilissimis, calore blando animali successive in vasa, aut fibras, firmandis.

§. 238. Cæterum statim, cum hunc motum in ovulo instituit Anima, turgescientiam, quod omnibus heterogeneis familiare est, concipit liquor contentus, & membranæ ovuli distenduntur, quemadmodum idem fieri in cicatricula ovarum incubatorum, primo & altero statim die, observamus.

§. 239. Cum sic distenditur ovulum, quod sine levi irritatione, & vasorum diductione accidere nequit, sanguis ex consuetudine naturæ, sive ex mechanica necessitate, uberius affluit,

(†) Vid. supra §. 76, seq.

affluit, non solum ad ovulum, sed etiam ad reliquas vicinas partes, unde post imprægnationem, Ovarium, ac Tubam Fallopianam, præprimis ejus laciniis, sanguine turgidas & distentas vidimus, & ab Harvæo & Grafo notatum legimus.

§. 240. Ipsum vero ovulum, propter uberionem sanguinis affluxum, indies nova incrementa capiens, rupta ovarii tunica, à laciniis Tubæ Fallopianæ exceptum, peristaltico motu ad uterum propellitur.

§. 241. Huc autem delatum, instar feminis terræ commissi, radices quasi agit, vascula sanguifera in porosam uteri substantiam immittendo, quibus affluentem sanguinem excipit, in fœtus formandi nutrimentum, & superfluum remittit.

§. 242. In oviparis autem, præter humores, in cicatrice contentum, & vitellus, & albumen adsunt, ex quibus, sine matris novo concursu, & sanguis formatur, & nutritius humor generatur, non solum colliquamento cui innatat pullus, augmentum præbens, sed & partibus alimentum.

§. 243. Quamvis autem Particula Animæ paternæ, ut monuimus, principium primum plasticum constituat, non tamen solitarie operatur, sed statim mutuam opem affert, & in commune negotium conspirat Anima matris.

§. 244. Nam 1) Ex circulationis Legibus non potest non Anima sensitiva, ut ad omnes partes, sic etiam ad ovarium & uterum accedere. 2) Neesse est, ut anima fœtus plastica, materialis quippe, successive, cum corporis augmento, novum capiat incrementum: Post fœtus autem in lucem exclusionem, augmentum Anima capit ex aëre, quamdiu corpus crescit, cum neesse sit, ut ipsius magnitudini proportionem respondeat, sine qua æquilibrium cum atmosphæra servari nequit. (†)

§. 245.
(†) Monueram hoc ipsum Sect. I. de Anima Plantarum §. 84. 85. adeoque male intellexit sententiam meam doctus quidem Vir, & præter necessitatem operosus est, in ea refutanda, ascendendo: impossibile esse, ut Anima v. g. in nucleo Cerasi contenta, extendatur

§. 245. In oviparis autem, statim post incubationem, Anima augmentum ex aëre externo recipit, hinc quo magis pullus accrescit, eo magis Aër in ovo atgetur, aqueis superfluis per transpirationem expulsis.

§. 246. Coalescere autem Animam foetus ex Patris & Matris anima, porro diversitas sexuum satis comprobatur: produci- tur enim masculus, si Patris Principium plasticum ad ovulum transmissum, virtute vel impetu maternum illud superat, & mo- tum insituit, similem isti, cui in paterno corpore adfuevit, sic- que primas staminum ducit delineationes; ut contra femella generatur, cum matris principium plasticum prævalet, & pa- ternum illud in adfuetas motuum determinationes abripit.

§. 247. In Viviparis tamen, post primas ductas lineas, ma- ternum principium ad reliquam corporis formationem, ejus robur, ac complementum, plus momenti affert, quam id, quod à Patre sub initium est subministratum.

§. 248. Confirmant id Hybrides, in plerisque partibus matribus similes: qui enim asinam matrem habent, toto cor- poris habitu asinis magis respondent, Hinuli olim dicti; con- tra, qui ex equa sunt procreati, ut Muli, corpore & forma hone- stiores, equis magis assimilantur: quod sane fieri non posset, si animæ paternæ particula solitarie, ut quibusdam ex recentio- ribus placet, principium constitueret plasticum.

§. 249. Non itaque rationalis ac spiritualis est anima pla- stica, neque ideas habet de corpore paterno, ut recentiores lo- quuntur, neque secundum eas sponte & libere operatur, sed passivè agit, à matris anima, quæ in viviparis continuo ad fo- tum fertur, impulsâ.

§. 250. Id quod porro monstra probant, ex depravata ma- tris imaginatione resultantia: Cum enim motus animæ sensi- tivæ, imaginationi, sive certæ cuidam ideæ destinatus, penitus

H

defle-
datur ad magnitudinem Arboris exinde progeneranda. Ex-
tenditur omnino hæc anima, pro incremento Arboris, sed cum
per se id non possit, necesse est, ut augmentum capiat ab Aëre ex-
terno, unde Planta, æque ac animalia, suas obtinent tracheas.

defleat à motu naturali, circulatorio, & plastico, hinc facile hunc turbare, & vitium foetus imprimere potest, si nempe motum plasticum impetu superat, & diutius in eo perseverat. (*)

§. 251. Ex hac matris imaginatione quoque deducendum, quando vel venustas & singularis gratia, vel naevi, aut deformitates, in corpore paterno, aut avorum, obviae, & matri, sive per picturam, sive ex relatione, notae sunt, foetus imprimuntur.

§. 252. Qui spirituales & libere agentem Animam plasticam volunt, dicunt, *eam ex amore erga matrem, proprium deformare, & monstruosum reddere corpus.* Sed qui amaret, quam non agnoscit? Qui agnosceret, de qua nullas habere potest ideas? Docent enim expresse: *Animam illam plasticam, non nisi instas habere ideas, quomodo nempe construendum sit corpus; Peregrinas autem, seu adscititias, postmodum demum, per sensus, succedere.* Cum itaque amor sit affectio intellectus acquisiti, qua ratione foetus potest amare matrem? Sed porro, qua ratione Anima materna communicat suas ideas animae foetus Plasticae, si utraque spiritualis est? & quaelibet corpus proprium deserere nequit? Praeterea Principium rationale, ob alterius stolidam imaginationem, in proprium favere corpus, id ipsum truncum, ac turpiter deformatum reddere, an hoc rationale est? Quid? quod expresse docent? *Animam circa formationem, & conservationem corporis, non pro lubitu, & ex prava voluntate agere posse, nec debere, sed constanter esse, secundum intellectum instum, ut loquuntur, sive secundum intentionem divinam, suum negotium absolute, atque hinc esse, quod Homo ne quidem pulsus cordis pro lubitu accelerare, aut retardare paululum, queat.*

§. 253. Si itaque Anima rationalis, ut concedunt, ne pulsus cordis quidem in sua potestate habet, multo minus formatio totius corporis ipsi adscribi poterit, imprimis, cum experientia testetur, longitudinem corporis, ejus nutritionem, & robur naturale, non esse in Animae rat. potestate: Imo, ne pulchritudo quidem cutanea, ne à varis, rugis, aut maculis vitietur, à nostro pendet arbitrio.

§. 254.

(*) vid. supra Sect. II, §. 232. seq. et §. 270.

§. 254. Itaque cum hac nova doctrina tot difficultatibus implicata sit, sibi toties contradicat, & phanomenis, quotidie obviis, repugnet, miror sane, viros, & eruditione, & rerum naturalium notitia pollentes, nomen ipsi dare potuisse.

§. 255. Neque spiritualitatem animæ plasticæ evincit, quod toties repetunt, eam agere propter finem, ergo esse rationalem: imprimis cum hoc sufficienter & solide refutatum sit, in Diff. de Natura, Cap. II. §. 19. 20. vid. etiam supra §. II. 34. seq.

§. 256. Agit omnino Anima plastica propter finem, non tamen tanquam Ens rationale, libere, & ex præconcepto consilio, sed passivo impulsu, ad nutum, et præscriptum Summi Conditoris, quippe qui eam ex tali materia construxit, quæ quaslibet impressiones, motuumque determinationes, à nulla alia materia unquam expectandas, non solum prompte suscipit, sed etiam in suscepto semel motu constantissime perseverat; Præterea idem ille Protoplastes reliqua media ita disposuit, ut finis, quem voluit, non possit non consequi, quamdiu nempe salvas ille vult hujus universi Leges.

§. 257. Quamvis autem hæc ex præmissis satis elucescant, in gratiam tamen eorum, qui in Natura rerum minus sunt periti, aut diffuse tradita, vel hinc inde dispersa, non rite conciliare valent, contrahemus discursum, ut uno conspectu totum negotium intueri queant.

§. 258. Et I. quidem non probabiliter, sed demonstrative evicimus, Animam sensitivam & plasticam, esse materialem: Quicquid enim divisibile, mutabile, incremento, & decremento obnoxium est, illud spirituale esse nequit.

§. 259. II. Ostendimus, & aperte demonstravimus, Animam istam esse Aereæ & Æthereæ naturæ: quoniam nempe Anima illa invisibilis est, & Aer ac Æther Cerebro & nervis, imò toti corpori non possunt non inesse. Accedit, quod Anima illa perpetuo aëris externi commercio ac impulsu indiget; nec demonstrari potest, dari adhuc aliam materiam prædictis fluidis subtiliorem, & si aliqua detur, ineptam eam fore, ut in partibus

tes corporis solidas agat, & officium animæ sensitivæ ac plasticæ exferat.

§. 260. III. Ostendimus Aerem & Ætherem externum, quaslibet motuum impressiones admittere, & tam mirabiliter exsequi, ut artificium Summi Conditoris, quod in hisce fluidis recondidit, nullo ingenii acumine penetrare liceat.

§. 261. Ex his autem sponte consequitur: si ingenio humano non patent mirifici aeris ætherisque motus, qui externe insituntur, multo minus comprehendi posse viros eorum in corpore animalium motus, quoniam 1) hic omnia in obscuro peraguntur, 2) quoniam ipsa animalium machina confert, ut quo nobilior ea sit, eo nobiliores consequantur effectus.

§. 262. Interim ex ipsis effectibus non difficulter apparet, eos ex prædictis fluidis pendere, & Animam plasticam quæ ex hisce constat, necessario ferri in ovulo, ad easdem motus leges, quibus adstricta est in corpore paterno, ut necesse non sit, ad Spiritum quendam immaterialem hic confugere, Dei vicarium, qui ad certas ideas, prævio consilio, corpus fœtus construat, aut ex amore erga matrem, deformatum illud reddat ac monstrosam.

§. 263. Si enim consideramus, quid in corporibus, eorumque superficie sit, per quod æther modificatur, ut oculis nostris objecta visibilia præsentet, aut imaginem eorum in speculo exprimat, inveniemus, id omne consistere in certa materiæ dispositione, asperitate, levitate, duritie, mollitie, nitore, aliisque innumeris modificationibus, ratione forsan melius, quam sensu percipiendis.

§. 264. Ab hisce omnibus, licet passive se habentibus, determinari se patitur æther, ut sub certis coloribus objectum in speculo præsentet, & quidem sine ullo errore, eadem plane ratione, eademque forma, quæ nudis oculis illud adspicimus, ita, ut si alia imago, ab objecto diversa, in speculo conspiceretur, (modo id rite formatum sit) miraculi instar foret. Certe quamvis eandem naturæ Leges subsistere vult summum Numen, æther non potest non cujuslibet objecti imaginem assumere, & in speculo præsentare.

§. 265.

§. 255. Quid autem interna corporis fabrica aliud est, quam certa materiae modificatio, in fibras, vel rigidas, vel flexiles, meatus majores, aut minores, atque ex his compactas partes, vel laeves, vel asperas, teretes, rotundas, aut aliter conformatas, cujuslibet animalis conditioni conformes?

§. 266. Dum itaque Anima sensitiva per corpus suum, ejusque partes, partiumque fibrillas, ac stamina, continuo fertur, necessario impressionem recipit, dispositioni ac conformationi partium respondentem, adeoque, cum in foecundo coitu ad ovulum transmittitur, non potest non in eadem motus determinatione perseverare, sicque in molli gelatinoso humore delineationem futuri foetus instituere, Prototypo respondentem; Nam aetheris ea natura est, ut ab impresso semel impetu non recedat, nisi aliquid sit, quod eum in aliam motus determinationem impellere est aptum.

§. 267. Observamus enim aetherem, imaginem objecti, in speculo representatam, transmittere ad aliud speculum, priori ex obliquo oppositum, & ab hoc vicissim reflexum, transferre in tertium, quartum, quintum, & sic in infinitum, modo ita sibi specula opponantur, ut idem angulus incidentiae observetur; Itaque Anima plastica non potest non determinationem motus, in paterno corpore receptam, in ovulo continuare, ibidemque materiam disponere, ut delineationem & formam foetus induat.

§. 268. Nam 1. fluit hoc ex Natura Animae, quippe quam ex Aethere constare, demonstravimus: 2) Nihil obstat in ovulo, quod motum istum inhibere possit. 3) Anima haecce non est Ens libere agens, ut alium motum, pro lubitu, instituere possit, aut sponte ab impresso impetu abstinere. Sed 4) impellitur continuo, mediante calore, & quidem vel interno, vel externo, ut in oviparis manifesto apparet. 5) Quod omnium palmarium est, perstat perpetua summi Conditoris voluntas, ut quodlibet moveatur, secundum suam naturam, et sui simile producat: Adeoque Anima non potest non, positus omnibus ad agendum requisitis, finem Summi Legislatoris adimplere.

§. 269. Ex his itaque constat, non requiri, ad formationem foetus, principum rationale, libere, & pro arbitrio agens, sed potius tale, quod coacte agit, ad certas motus Leges, à Summo Conditore præscriptas. Tale autem est Anima sensitiva ac plastica, quippe quæ non solum quaslibet motus determinationes, cujuslibet animalis fabricæ respondentes, admittit, sed etiam in iisdem perseverat, nisi ab Animâ sensitivâ matris, perversa imaginationis stimulis agitata, in opere suo turbetur.

§. 270. Turbatur autem Anima plastica àb imaginatione matris, quando hæc cum cura, vel anxietate, imaginationi perversa indulget. Nam 1.) Anima sensitiva matris ex circulationis legibus non potest non continuum cum Anima Plastica habere commercium. 2.) Quoniam motus Animæ, imaginationi destinatus, plane diversus est, & præterea vehementior, quam motus ejus circulatorius, formationi inserviens, hinc facile istum in aliam motus determinationem secum abripit, & quidem 3.) quoniam motus animæ maternæ accurate respondet objecto visibili, (†) quod imaginationem ejus vehementer afficit, hinc dum idem motus in corpore foetus, aut certa eius parte instituitur, necessario illic conformatio producitur, similis objecto, quod matris Phantasiam turbavit.

§. 271. Cum itaque hæc sacris Literis respondeant, & ex Legibus Naturæ, & phenomenorum naturalium nexu, sponte fluant, nemo ipsis obstrepere poterit, nisi qui rejectis recte argumentandi regulis, ingenium potius quam Naturam ducem sequi mavult.

§. 272. Agit itaque Anima Plastica, ut ad objectionem Recentiorum redeamus, ad finem, sed coacte, ex necessitate suæ naturæ, penitus ignara ejus, quod agit, & quidem certo tempore, pro cujusvis animalis conditione, donec foetus in lucem prodeat,

(†) Respondet objecto visibili: & quidem quoad externam superficiem: nam ab ea determinatur æther lucidus, adeoque & anima sensitiva in eandem motus determinationem abripitur. Hinc excrecentia præter naturales in foetu, v. g. Cerasa Fraga &c. non nisi externam horum fructuum superficiem representant.

deat, & quidem id omne, ex nutu, & institutione Summi Conditoris, cui obviam ire non potest Ens, ratione destitutum, & ex necessitate coactiva divinum opus peragens.

§. 273. Non tamen DEus hæc ita necessitat, ut semper iustus ac legitimus finis consequatur; sed quemadmodum in reliquis naturalibus observamus, obstantibus aliis causis, aut peregrinis concurrentibus, effectus vel suspenditur, vel aliquis consequitur, sed non à DEO præfixus, quamvis satis à condito mundo prævisus; ut cum à perversa matris imaginatione monstra, aut ex diversis specie animalibus, tertium aliquid generatur, ut Mulus. (†)

§. 274. Quibus stabilitis, apparet tandem, cur monstra in brutis rarissima, longe frequentiora generi humano. Bruta enim Ente libere agente destituta, non pro lubitu, nec cum animi quadam applicatione, imaginationem exercent, adeoque, si quid insoliti percipiunt, nisi forte in ipso æstro venereo sit, illud vix attendunt, multo minus in memoriam revocant, soli quippe corporis conservationi, & quæ exinde fluunt ideis, dedita.

§. 275. Hinc porro apparet, cur brutâ ejusdem generis, prolem semper producant, parentibus cum habitu corporis, tum inclinatione exacte similem; Contra vero, in Genere Humano, frater à fratre, soror à sorore, & corpore, & animo, ac moribus differant. Cum enim homines non æqualia semper experiantur fata, & eadem mater, forte primo matrimonii anno, convivii, deliciis, & voluptatibus indulgeat; altero vicissim parsimonix studeat; tertio honores & majorem ambiat dignitatem; quarto peregrinos ac furtivos amores meditetur, aut exerceat, facile apparet, eam toties gravidam, tot quoque moribus ac studiis diversos liberos procreare posse, quoniam ipsi cerebri meatus, ac tubuli, istis cogitationibus in-

fer-

(†) *Hinc nec in Physicis, adeoque nec in Medicina, dantur Demonstrationes Mathematica, perpetua veritatis; sed id, quod ut plurimum, sive ex consuetudine Natura fit, locum unius-versalis principii obtinet.*

servientes, pramature disponuntur & aptantur, ut anima sensitiva in posterum facilius in eos, quam per alios feratur, sicque mentem secum rapiat, & invitam etiam pertrahat. (†)

§. 276. Apparet porro, cur incrementum corporis, aut ejus pulchritudo, ac denique operationes vitales, non pendeant à voluntate nostra: Non enim animæ rationali quicquam commercii cum hisce intercedit, imo ne agnoscit quidem illa, quomodo hæc instituenda sint. Nam quoniam partes, quæ hisce inserviunt, idealibus conceptibus non sunt destinatae, nec ipse motus animæ sensitivæ circulatorius, qui ad hoc negotium requiritur, ideis producendis aptus est, hinc Anima rationalis, nullas horum omnium, & quomodo peragenda sint, notitiam obtinet.

§. 277. Apparet denique, sententiam nostram talem esse, ut ad omnia phænomena solvenda, sine ulla contradictione, aut exceptione, sufficiat, adeoque de veritate ejus nullum dubium superesse posse. (††)

Nonne

(†) Observavit jam id olim Malebranchius, putatque in hac cerebri, ac fibrarum ipsius dispositione, quam in utero contrahit, fundamentum peccati originalis potissimum consistere, ita ut pro illa cerebri dispositioe homines naturâ magis proclives sint, ad certa peccata, & pravas inclinationes, qua animam rationalem etiam interdum reluctanter secum abripiant. vid. Recherche de la Verité Tome 1. p. 271. 272.

(††) Non datur alia demonstratio in physicis, quam applicatio principii universalis, ad effectus particulares. Et licet modus ac integrum artificium, quo Natura in producendis mutationibus naturalibus utitur, non plenarie perspectum sit, non tamen statim ad causas spirituales confugiendum. Absena propterea judicatur Philosophia Thaletis, qui cum omnia Spirituum plena assereret, facillimam methodum habuit difficillimas quaestiones Physicas levissimo negotio explicare. vid. Aët. Philos. P. VI. p. 1065.

Nonne itaque Medici æque ac Philosophi contra sensus & rectam rationem agerent, si rejectis causis manifestis, sensu obviis, aut ex sensu perceptis facile demonstrandis, sibi obtrudi paterentur, principia obscura, neque à priori, neque à posteriori unquam demonstranda? Non à priori: Nam gaudere intellectu infuso, gaudere ideis, secundum quas construendum fit corpus animale, non fluit ex Spirituum immaterialium essentia, adeoque nec fluit ex Essentia Animæ rationalis humanæ (Brutis enim Spiritum non inesse, satis demonstravimus.) Quoniam autem nihilominus asserunt, Animam rationalem hisce ideis instructam esse, necesse foret, DEUM Animam rationalem hisce donis extraordinarie prospexisse, quod an verum sit, à posteriori indagandum. Ast 1) Animæ rationali nil quicquam de hoc intellectu, nihil de hisce ideis constat. 2) Nec operationes in corpore humano obvenientes, quicquam de hoc intellectu testantur. Præterquam enim, quod secundum effatum Salvatoris nostri, nemo longitudini suæ ulnæ mensuram addere possit, nemo quoque mortalium est, qui vitam suam, & actus ad eam conservandam necessarios, in potestate habeat: imo ne quidem præsentem pulchritudinem cutaneam, cujus adeo studiosissimæ sunt mulierculæ, conservare pollet Anima rationalis, sed ejus jacturam sæpe ipsæ juvenculæ jam lugent: paucissimis contingit ad annum quadragesimum, aut quinquagesimum, gratiam oris, aut decentem venustatem extendere.

Cum itaque nullo solido fundamento nitatur hæc doctrina, mirum, quomodo se adeo diffundere, & tot sectatores invenire potuerit. Forte dices, ad artem Medicam feliciter exercendam, eam multum momenti afferre? Ast irritum quoque hoc esse, alia occasione evincam. Tota enim Medicina, seu discenda, seu exercenda ea fit, innititur Historiæ morborum, & Methodi Medendi, quam utramque perpetuis Medicorum observationibus debemus. Qui itaque hac via relicta, ex nudis hypothesebus Artis Exercitium aggreditur, is non potest non multis modis peccare in miseros ægros, quemadmodum id
I
foli-

folide docuit Illustr. Baglivius, (†) dignus certe qui omnium manibus teratur. Crediderim itaque, doctrinam hanc se commendasse 1) Novitate sua, quemadmodum jam olim Plinius id advertit, nullamque artium inconstantiorum fuisse pronunciat. (††) 2) Sua facilitate. Quid enim facilius, quam omnia corporis phaenomena ad Animam rationalem referre? (†††) Hinc toties in eorum scriptis legas: *Hoc phaenomenon ex Mechanismo diffi-*

(†) *Ab ardenti dicit, & flagranti illo in novas Hypotheses studio, quot & quanta in Medicinam irruerint mala, longum est, & non necessarium hic commemorare: sed hoc paucis dicam, primum quidem, quod praclarissima quaque ingenia doctis & ingeniosis illis fabulis quasi delinita, ad rudiorem & crassiores, ut ajunt, Minervam, hoc est, ad Observandas morborum qualitates, & medicamentorum vires, ac proprietates periclitandas, descendere plerumque non solum pigeat, sed etiam pudeat. Alterum vero, quod Studioforum animi, quibus semel imbuti sunt fictis, ac commentitiis sententiis, assiduitate, ac usu eo usque advescant, ut eas postmodum in Medicina faciendâ non probabilium loco duntaxat, ut primum, habeant, sed tanquam certas adhibere, nequaquam dubitent. - - His omnibus Ars nostra illustratur non efficitur - - Res corporea admirabili quadam, eaque eterna, & constanti regula gubernantur. Natura itaque Leges, si hominibus non verba dare, sed reapse eos juvare volumus, notare, meditari, observare, eisque ad amissum obsequi, ac servire opus est. Prax. Lib. I. p. m. 4. 5.*

(††) *Lib. XXIX. Cap. I. Nec dubium est, omnes istos (de Medicis loquitur) famam novitate aliqua aucupantes, animas statim nostras negotiari. Hinc illa circa egros misera sententiarum concertationes, nullo idem consente, ne videatur accessio alterius. Mutatur Ars, toties versipellis, & ingeniorum Gracia statu impellimur. Palamque est, ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vite nostrae, necisque fieri.*

(†††) *Heumannus in Act. Phil. P. VI. 1056. advertit, Judeos olim docuisse, quod Archangelus Michael factum in utero formet, additque: Dergleichen Principia machen die Physic überaus leicht, wenn einer das Donum credulitatis hat.*

culter explicari posse. Illi contra, facillime id præstant: nam si ipsis credas, *Anima Rationalis omnia agit, & febres, cecitatem, dolores &c. sponte excitat.* Si autem regeras, fieri hæc invita Anima rationali. Responsio facilis est, *Animam hic agere secundum intellectum insitum, & secundum hunc intellectum eam nullas habere ideas manifestas.* Quid autem hoc aliud est, quam obscurum per aliud æque obscurum explicare? Quemadmodum autem hæc doctrina ex hisce primum increvit, sic 3.) eam stabiliunt suis in alios investivis. Nihil enim magis Auditorum animos movet, quam probe invehere in veterum aut æqualium dogmata, ipsisque alienum sensum affingere, ad exemplum Chymistarum, qui non tam rationibus quam acerbe dictis sua olim principia obtrudere conabantur. Et profecto nonnulli hujus dogmatis Autores, sive Fautores, (non enim de omnibus id intellectum volumus) sub honestiori *Anime rationalis larva nobis Chemistarum Archeum, Corporis sui in utero fabricum, ac sanitatis & morborum omnium Autorem, denuo in scenam introducunt; cum contra alii ad Enthusiastarum vel Naturalistarum DEUM sint proclives.* Certe Anonymus ille Hallensis, in germanico scripto de Anima, illud Principium, quod sub Animæ Sensitivæ nomine in brutis ac homine descripsimus, Animam dicit Rationalem: Nam *materialem esse suam Animam rationalem, quamvis non materialiam, ridicula plane distinctione, aperte profitetur.* Illud autem quod sub Animæ rationalis titulo in homine alias Philosophi æque ac Theologi agnoscunt, quodque nos potissimum à brutis distinguit, id ipsum facit particulam divinitatis, aut potius ipsum DEUM (+) probeque deba-

chatur
 (+) Wenn der Mensch / dicit ille, als ein Bild / das Gott gleich sey / oder als zum Bilde Gottes geschaffen ist / auch solche göttl. Eigenschaften in der Erkenntnis / Weisheit / Heiligkeit / und Gerechtigkeit gehabt / so folget nothwendig / daß das Wesen / von welchen solche Eigenschaften sind gesagt worden / nicht eines andern sondern göttl. Wesens hatte seyn müssen: Ist es also göttl. Wesens gewesen / warum sollen wir NB. mehrere Gradus der Göttlichkeit statuiren / welches nichts anders als ein


chatur in eos, qui hæc somnia sibi persuaderi non patiuntur. (†)


Nullum itaque dubium est, hanc doctrinam brevi expiraturam, quam primum eam novitatis gratia tanquam succus defecerit. Nam quamvis interdum novitatibus delectetur animus humanus, non tamen in iisdem diu acquiescit, sed solidiora appetit tandem. Atque hæc ratio est, quod Medicina Dogmatica & Philosophia Eclectica, licet variis novaturientium moliminibus, agitata, adhuc perstant, in posterum quoque duratura.


Subsistimus itaque, & hæc obfirmamus, verbis Celeb. Philosophi ac Medici Schelhameri. *Illos, dicendo, qui figmentis hodie cerebrosis, & commentis fanaticis delectantur, inauditis pariter elapsis seculis, ac futuris ignorandis, ad veterarum puerorumve conventus ablegamus. Philosophorum indignos nomine.* (†)

ein purer *Gentilismus* wäre / da wir nur *NE.* ein einzig Göttl. Wesen erkennen und einen Gott verehren und anbeten. *vid. Verhandlung von der Seele p. 29. seq.*

(†) *Es raisoniret hievon gar artig der berühmte Heumannus in dem er saget: wenn Leute, die kein gutes Judicium, aber doch eine feurige Einbildungs-Krafft haben/selbst Philosophiren, und Eclecticos aspirare wollen/ so kan es nicht fehlen/ sie müssen in den Scepticismum gerathen. Denn weit sie von Einfällen reich sind/ und also Dubia genug machen können/ aber arm sind am Judicio, und dieselben nicht zu resolviren wissen/ gleichwohl aber sich einbilden/ sie wären alleine klug; wie denn dergleichen Leute ordentlich einen ganz ungemeynen Hochmuth hegen; So gerathen sie endlich dahin/ daß sie alles vor ungewiß halten/ und nirgends festen Fuß sehen. Sind sie denn vorher schon mit der Furcht Gottes eingenommen/so werden es Enthusiasten, und erwarten von Gott die unmittelbare Eingießung der Weisheit: wie Böhmius, Helmontius, Kuhlmannus &c. Wofern sie aber eine geringe Empfindung der Ehrfurcht gegen Gott bey sich haben/ so verfallen sie erstlich in Naturalismum, und endlich gar in den Atheismum. Dieses letzte ist dem Vanino, Spinoza, und andern wiederfahren. Vid. Act. Philosoph. P. IV. p. 584. (††) Schelhamerus Lib. I. de Natura, p. 131.*







Illi contra, facillime id præstant: nam si ipsis
rationalis omnia agit, & febres, cæcitatem, dolores &c.
autem regeras, fieri hæc invita Anima rationali.
est, Animam hic agere secundum intellectum infirmum,
intellectum eam nullas habere ideas manifestas. Quid
est, quam obscurum per aliud æque obscurum
nammodum autem hæc doctrina ex hisce pri-
fic 3.) eam stabiliunt suis in alios invec-
magis Auditorum animos movet, quam pro-
veterum aut æqualium dogmata, ipsisque
affingere, ad exemplum Chymistarum,
ationibus quam acerbe dictis sua olim
ere conabantur. Et profecto nonnulli
Autores, sive Fautores, (non enim de-
electum volumus) sub honestiori Anima
nobis Chymistarum Archem, Corporis sui in-
sanitatis & morborum omnium Autorem, denuo in-
rum contra alii ad Enthusiastarum vel Naturalistarum
s. Certe Anonymus ille Hallensis, in ger-
Anima, illud Principium, quod sub Animæ
in brutis ac homine descripsimus, Animam
Nam materialem esse suam Animam rationa-
materialem, ridicula plane distinctione, aper-
lud autem quod sub Animæ rationalis ti-
as Philosophi æque ac Theologi agnoscunt,
limum à brutis distinguit, id ipsum facit par-
aut potius ipsum DEUM (+) probeque deba-
chatur
Rensch / dicit ille, als ein Bild / das Gott
als zum Bilde Gottes geschaffen ist / auch sol-
schaffen in der Erkenntnis / Weisheit / Hei-
rechtigkeit gehabt / so folget nothwendig / daß das
welchen solche Eigenschaften sind gesagt worden /
ern sondern Gottl. Wesens hatte seyn müssen / Ist
Wesens gewesen / warum sollen wir NB. mehre-
Gotttheit stammen / welches nichts anders als
ein